


9+10/88

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC.73

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--

übriges Europa Fr. 20.--

Uebersee US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Carae carique legentes

Aestate exeunte vos omnes quam iucundissimas ferias egisse spero, sive in terras remotas iter feceritis, sive nostras regiones pererraveritis, seu ad otium nihil agendo fruedum, seu ad eruditionem scientiasque studiis augendas. Quid ad me attinet, antequam in Italia pulcherrimos dies peragerem, illi seminario Latinitatis vivae patre Caelesti Eichenseer moderante, quod hoc anno quartum Morsaci habitum est, interfui et ibi unam septimanam loquendo linguae Latinae studebam.

Scilicet mihi primum participi non magnus usus Latine loquendi fuit. Sed celerius quam existimaveram consuefactus sum id agere. Si nonnullae scientiae elementariae linguae nobis sunt, in loquendo usus et eloquentia cito augentur (non aliter accidit modernas linguas discentibus), et paulatim Latine loqui non multo difficilium mihi videbatur quam qualibet lingua, cuius usus loquendi nobis deest. (Paululo quidem difficilium tamen - confiteor - , quia magis quam in linguis modernis verborum terminationes declinationis coniugationisque causa sunt observandae). Praeterea non oportet sententias implicatis difficillimis constructionibus adhibere in loquendo (sermone patrio quoque colloquentes id non facimus). Scilicet longe absum umbram modo eloquentiae Ciceronis adaequare vel eam patris Caelestis. Tamen paululo plus quam antea scio.

Cum collegis collocutus sum etiam de quaestione Latine loquendi in schola, quid nostris regionibus rarissime fit. Complures esse difficultates Latine loquendi mihi videntur: Est opinio praeiudicata Latinum mortuam linguam esse de rebus longe remotis nihil ad nos pertinentibus agentem. Refert, quomodo institutio tractetur. Si ita docetur, ut nihil fiat nisi durissimi labores exercitationibus molestis, talis institutio discipulis parvum gaudium, immo taedium magnum affert. Ne male me intellegatis: linguam diligentissime discendam esse constat. (Id non aliter se

habet in linguis modernis discendis, quarum studium nobis gaudium non affert, nisi diligenter eas discimus. Praeterea moderna quoque linguae discipulis horribiles esse possunt, si magister in docendo laeve agat. Expertus loquor reminiscens institutionis linguae Anglicae, quam in gymnasio passus sum).

Deinde nobis magistris saepe non magnum spatium temporis ad finem institutionis nostri consequendum suppetit: opera enim poetarum scriptorumque Romanorum legere. Itaque tempus ad alias res insuper agendas non superest.

Demum saepe magistris ipsis consuetudo Latine loquendi non est, quia in eruditione eorum talia non fiunt. (Me ipsum nolo excipere). Et certe non omnibus placet, Latine loqui. Tamen potius opinionis praeiudicatae causa quam difficultatibus insuperabilibus linguae ipsae fieri mihi videtur, ut non saepius Latine loquantur.

Licet aliqui dicant, loqui quoque Latine ludum esse. Certe, sed ludendo saepe homines iucunde et commode discunt. Ita etiam discipulis aliquid delectationis et varietas institutionis usitatae afferri forsitan possit. Quae res ad maiores fines consequendos, lectionem enim auctorum Latinorum (non dubito, quin hic finis summus sit), utilis esse possit. Non esset funditus eversio vel commutatio institutionis, sed potius parva amplificatio, quasi variatio rationis docendi. Temptanda sit res! Audete, magistrae magisque, si vobis placeat, conatum suspicere, etiamsi paulis minutis tantum in septimana. Aliis discipulorum placebit, aliis non. Et? Nemo cogatur, sed ii, quibus talis variatio gaudium affert, cur non facerent? Efficacius erit, quod unusquisque re vera faciet, etiamsi parvis tantum gradibus progredietur, quam Latinitatis vivae deplorationes vel defensiones orationibus doctissimis et spinosis. Cui bono enim verba pulcherrima quidem audienda et legenda, quibus nihil efficitur?


Exempli gratia post ferias, cum iterum officia in gymnasio erant suscipienda, discipulos meos (potius oportet me dicere discipulas, sunt enim octo puellas et unus puer) Latine salutavi et interrogavi, quomodo ferias egissent, curiosus exspectans, quid esset facturum. (Numquam enim, quod sciam, antea Latine locuti erant). Primum et me et se alii alios stupefacti et capita concutientes aspexerunt et

interrogabant, qua lingua obscura et omnino nova usus essem. Iam putavi id solum effectum conatus mei fuisse, cum subito Christine, puella oculis claris et comis longis super umeros cadentibus, manum porrexit et verbis simplicibus narrare coepit, quid feriis egisset et ubi fuisset. Paulatim aliae quoque conatae sunt idem facere, et satis bene me adiuvante narraverunt. Res est ergo non tam difficilis, ut fieri non possit.


Praeterea in hoc libello de illo seminario plura legere poteritis. Et alias symbolas magno cum gaudio vos lecturos esse spero.

Haec scribens certior factus sum de decessu Antonini Immé, viri doctissimi et Latinitatis vivae peritissimi. Qui una cum uxore Genovefa ex anno 1984° saepe symbolas RUMORI VARIO composuit. Itaque in hoc libello quoque relationes in memoriam Antonini invenietis.

Valete!



Daniel Weissmann



De feriis aquaticis in Batavorum finibus actis

(Narrationis pars finalis)

Cottidie sub vesperum ad aliquam insulam appellere solebamus pernoctaturi (übernachten). Aliquando nave appulsa, cena habita nave egressi per insulam magna parte silvestrem ambulabamus, quiete et tranquillitate loci gaudentes, quamvis foetore (Gestank) quodam ignotae originis vexaremur. Ad navem reversi cum foetor ille nares nostras adflare non desiisset, Henricus, vir fortis qui esset, multa iam nocte, sub stellis fulgentibus iterum nave exiit originem foetoris

exploratum. Per tenebras videre non poterat quicquam, sed naribus confidens iter pergens stercus (Misthaufen) invenit. Qua de re multo post reversus certiores nos fecit. Stercus secundum eius verba erat magnitudine ingenti iacens in prato prope silvam sito. Foetor, quamvis eius origo nunc nobis nota fuisset, tamen nihilo iucundior nobis fuit et vix somnum capere poteramus.

Postero die autóscapha nostra a statione (Standplatz) moveri non poterat, motore tam muto manente, quasi nemo in navi eum impellere temptaret. Quid agendum erat? Circumspiciebamus nosque spectabamus in perturbatione summa. Tandem Henricus solutionem difficultatis repperit dicens: "Unum restat. Telephonabo in caupona proxima domino navis (Reeder), qui est in Lemmer, ut mechanicum quendam ad nos mittat motorem refecturum. Et Henricus, vir vere Germanicus, fortiter abiit telephonaturus. Horis vix duabus post mechanicus ille advenit motorem navis refecturus. Et refecit, ita ut iam ante meridiem iter nostrum aquaticum per canales et lacūs pergere possemus. Sed aequae confidentes navi atque antea non iam eramus, timentes semper, ne denuo deficeret. Atqui aliud incommodum minime exspectatum accidit. Henricus enim navem gubernanti mihi succedere volens gubernaculum arripuit et, commotissimus ut esset, tam male gubernavit, ut in altera nave, quae in ancoris stabat, graviter offenderet vectoresque (Passagiere) in altera nave rustica (unhöflich) nobis convicia (Schimpfwort) alta voce facerent. Henricum eius uxor Hildegarda minacibus verbis iussit gubernaculo tandem absistere meque oravit, ut denuo munus gubernandi susciperem. Quae verba nimis superbum me reddiderunt: namque cum cataractam (Schleuse) aliquam intravissemus, ubi aliae naves magnae exspectabant, dum cataracta aperiretur, ego quoque de via alterius navis decedere nequivi ita, ut collisio fieret uxoresque clamarent me quoque esse gubernandi indocilem ignarumque. Tum uxor mea gubernatrix facta mirabili et incredibili arte e cataracta salvos nos eduxit. Itaque vesperi ad cenam magna laus unanimis facta est uxoris meae, at Henricus egoque ab uxoribus ludibrio facti sumus. Quod ludibrium Henricus me minus tranquille ferebat, ut qui superbius esset et auctoritatem quandam gubernandi sibi servatam esse cuperet. Attamen in-

sequentibus diebus gubernaculum numquam iam attigit, sed in alta prora sedens signa dabat uxori meae, quam in partem, vel ad sinistram potius vel ad dextram navigandum esset. Vesperi autem, quodcumque ad urbem aliquam appellebamus, Henricus de alta sua sede descendebat, capescebat funem (Seil, Tau), ut navem ad palum alligaret, at ego mirabar, cur numquam palum proximum caperet, sed multo longinquo-rem, ita ut plane ridiculum esset, funem a nave usque ad palum longinquum extendi. Subridebam nihil dicens, quia non ignorabam futurum fuisse, ut animo valde offenderetur, si de eius auctoritate nautica dubitandi signum dedissem. Satis superque graviter ferebat se a gubernaculo concedere debuisse. Ceterum Henricus homo est amabilis, bonae indolis (Charakter), at rerum nauticarum tam impotens et ignarus quam pastor quilibet vaccas pascens in Alpibus nostris. Cottidie sub vesperum ad ripam vel portum oppidi alicuius appulsi non manebamus in nave, sed oppidi cognoscendi studio exiebamus loca perambulatum lustratumque. Tum autem studia nostra et iudicia non semper erant concordia, contraria saepius. Itaque plerumque ad navem revertentes controversiā irati cubitum ibamus vix "valet" (schlaft wohl) dicentes. Sed postridie mane solebat accidere, ut societate et amicitia denuo uteremur iurgii obliti. Quo modo una vivebamus in illa autóscapha per septem dies, cum de improvise telephonice a filio nostro maximo natu certiores facti sumus filium minorem nostrum graviter aegrotari. Quo nuntio attoniti amicos nostros Monacenses quam celerrime deseruimus et aeroplano vecti domum revertimus.



Emanuel Bernard

Facete lepideque dicta

Nonnulla de animalibus dicta collegimus et in Latinum conversa vobis proponimus:

I

In silva densa elephantus quidam cubans somno capitur. Tum magnus numerus formicarum dorsum eius ascendit. Elefantus

e somno excitatus formicas decutit. Omnes praeter unam, nomine Lucretia, humum deiciuntur. Lucretia sola elephantum collo adhaeret. Tum deiectae, ira incensae, exclamant: "Agedum, Lucretia, istum suffoca!"

II

Aliquando mus et elephantus ad clericum adeunt. Clericus: "Quid optatis, carissimi?" Mus amore ardens: "Elephantum statim mecum matrimonio coniungere velim." Clericus stupens: "Quid?" inquit, "id fieri non potest." Mus autem importune insistens: "Amabo, fac, ut matrimonio coniungi possimus; re quadam enim ad hoc cogimur."

III

Mus quidam cum millepede ad theatrum se conferre vult. Ante ianuam mus millepedem frustra exspectat. Postremo solus intrat. Spectaculo perfecto mus exiens millepedem foris conspicit. Mus iratus: "Quin intravisti?" inquit, "diutissime te exspectavi. Moribus rusticis sane es!" Tum millepes se excusans: "Culpa non est in me, optime. In ostio sane scriptum est: Pedes purgate!"

IV

Equus in cinematographo sedens semper ridet. Spectatores equi risu turbati impias voces iactare incipiunt. Tum unus e spectatoribus: "Non intellego", inquit, "cur iste semper rideat." Equi dominus: "Equidem risus causam ignoro. Liber enim equo valde displicuit."

V

Elephanti et mures follem pedibus mittunt. Unus ex elephantis murem quandam in lusu obterit. Culpae sibi conscius elephantus statim ad eum, qui mures exercet, adit et: "Mihi veniam da", inquit, "inconsulte egi!" Tum is, qui murum turmales exercet: "Noli dolorem capere ex hac re, amice, idem nobis sane accidere potuisset."

VI

Mus elephantum conspiciens admiratione movetur: "Quam altus es!" exclamat. Elefantus benignitate animi motus: "Recte dicis, optime", inquit, "equidem maximus sum. Tu autem sane parvus es." Tum mus se alteri excusans: "Vehementer diuque aegrotavi."

Discipulae classis quartae gymnasii Theresiani Ingenbohlensis



SOLUTIONES

Tot solutiones huius aenigmatis nobis missae sunt, quot numquam antea: Fuerunt enim LVI! Qui numerus nobis magno gaudio fuit. Sunt autem XXV solutiones sine ullo errore confectae. Inter eas sortes coniecimus de primo, secundo tertioque praemio. Ecce illi, qui praemia accipient:


<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Manuela Roth Bändlistr. 65 8064 Zürich	Judith Schwizer Lilienstr. 3a 9247 Henau	Marzial Schmid Kirchweg 61 8102 O'engstringen

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur. Vos omnes, quibus Fortuna non favit, ne tristes sitis neve animo cadatis! In proximo enim libello denuo aenigma, quo praemia accipi poterunt, invenietis!

Rumoris Varii domus editoria

Aenigma

*hic alei quoque scribi potuit



1. vini plenus es
2. pars amphitheatri
3. ubi Artemis et Apollo dei nati sunt (Akk.)
4. in aliam urbem iens nubo
5. insula Graeca propter vinum notissima

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

Daniel Weissmann



Graecorum philosophorum sententiae

Theophrastus homines improbos non adeo ipsorum rebus secundis gaudere quam aliorum rebus adversis dixisse fertur.


Romanus crassus et iners omnibus armis indutus adversus sudem ligneum gladio dimicabat et Demonactem praesentem rogavit: "Nonne bene dimico?" Tum ille: "Mirabilissime, si adversarius ligneus tibi est."

Interrogatus, quid sit maxime paradoxum inter homines, Chilon respondit: "Si quis potestatem infinitam nactus se ipsum noscit."

Non e verbis res valere sed e rebus verba dixit Anacharsis. Non enim verborum causa res perfici, sed e rebus verba.

Cum malus poeta Demonacti versum a se ipso compositum monstravisset et dixisset se illum suo monumento sepulcrali inscriptum iri velle, Demonax ridens: "Hoc elogium tam pulchrum est", ait, "ut velim iam inscriptum esse."

Aliquando Demonax athletam Olympicum deridebat, quod veste versicolore indutus in publicum prodibat, et hic iratus lapidem in caput Demonactis iactavit, ut sanguis funderetur. Praesentibus indignantibus et clamantibus: "Oportet te ad proconsulem (Polizeichef) ire!" Demonax: "Non ad proconsulem", ait, "sed ad medicum."



Daniel Weissmann

Praeclarae mulieres Italicae:

MILVA



Milva (Maria Ilva Biolcati), summa omnium cantatricum Italicarum, celeberrima in Europa (maxime in Francogallia et Germania) et in orbe terrarum nata est die 17° mensis Iulii anno 1939° in vico "Goro" apud Ferrariam in Romania. Humili loco nata, sed natura strenua et fortis, iam ab adulescentia vocis bonis usa est, ut victum quaereret sibi familiaribusque. Musicae cantusque rudimentis positus, certamini canoro Remopolitano adfuit primum anno 1961°: Eventus felicissimus fuit. Posthac cantiuunculae Milvae maxime probatae sunt ob modos

vocemque, suavitate plenae musicisque quibusdam numeris certe legē recurrentibus. Anni 1960 - 1970 sunt "aurei" musicae et cantiuunculae Italicae: Milva iam eminet super alias collegas, ut Minam, Giliolam Cinquetti, Ivam Zanicchi, Ornellam Vanoni et Ritam Pavone; vox eius est magna, valens, robusta, mirum in modum inflexa, fervida simulque dulcissima, quippe quae optime variata omnes sensus et concitationes animi fidissime reddat. Promissos capillos rufos suaviter in terga fluentes Milva ostentat, procerum et excelsum corpus et vultum sapienter componit dum cantiuuncularum, quas plurimas novit, nonnullas canit, semper longissimis plausibus in theatris resonantibus submersa.

Neque hoc contenta, ingens decus et ornamentum Milva affert, dotes scaenicas actricis et cantatricis liricae nec non ballatricis omnino experiens: anno 1960° tractat spectaculum Bertoldii Brecht (summi scaenici poetae Theodisci natione) "Opera trium nummorum" cum musica a Curtio Weill composita, postea eiusdem Brecht "Ballatio simulacri Lusitani" cum musica Petri Weiss. Omnium plausu haec spectacula Milviana excepta sunt. Milva canit saepissime in Germania et in maximis theatris Italicis. Anno 1982° primum in theatro "Scala" dicto, templo musicae classicae, exhibet opera sua. Nulla cantatrix minor ante Milvam pedem unquam posuerat in "Scala": sed Milva, vocis altae cantrix sive altista, plane consensum Mediolanensem meruit et eodem anno in theatro "Olympia" Lutetiae in Francogallia favores unanimes adepta est. Multa milia exemplaria phonodiscorum Milva vendidit usque adhuc, in ipsa Iaponia nomen pervulgatum est: in primis insignis artifex, cantus suprema magistra, Milva etiam in televisione permulta spectacula praebet et cantiones semper novas ostendit. Nullas metas Milva ponit et semper ad maiora contendit.

Florindo Di Monaco



DE REBUS VARIIS
IN SEMINARIO LATINO MORSACI GESTIS

Magna cum curiositate illo die 24° Iulio seminario Latinitatis vivae primum interfuturus imbre sine mora de caelo cadente Bernae tramen conscendi. Frustra sperabam tempestatem Lucernae meliorem fore, et cum vicum Brunnen adveni (quod nomen Theodiscum Latine "puteus" significat), tantis copiis imber de caelo fluebat, ut re vera in puteo me versari putarem timens, ne mihi natandum esset. Coenautocineti tandem Morsacum vectus domum Antonii "Mattli" intravi. (Nomen domus ad Antonium Patavinum pertinet, qui piscibus praedicavisse narratur, cum olim nemo in ecclesia adesset. Praeterea Franciscani laici domum administrant, sed accessus est hominibus omnium confessionum. Multa de Francisco Asisiensi, qui cum avibus collocutus esse fertur, inveniri et legi ibi potest).

Postquam soror Fabiola, quae domūs administrationem curat, comiter me accepit et clavem conclavis mihi dedit, sarcinis ibi depositis "Rütlistube" intravi, ubi seminarii sociae sociique nonnulli iam sedebant magno cum studio Latine loquentes vel conantes quidem loqui. Tum primum vidi illum celeberrimum patrem Caelestem, de quo iam antea multa audiveram. Hilaris laetusque me salutavit. Homo magna benignitate leporeque esse videbatur. Aderat etiam adiutrix Sigrides, quae sedebat ad sinistram patris. Paulatim ceteri quoque socii adveniebant, et foris aqua semper de caelo atro cadente intra iucunditas et hilaritas erant.

Proximo die, postquam Basilienses quoque sociae sociique advenerunt, caelo serenissimo et sole fulgente seminarium coepit. Maxima eloquentia pater Caelestis de quibuslibet rebus, sive iocosis sive seriis locutus est, et quod ei saepe placebat iocos inserere, multum ridebamus; sed interdum de seriis quoque rebus disputabamus. Ex ordine pater cum unoquoque nostrum breve collocutus est, imprimis cum eis, qui primum adessent. Quos interrogavit, quis essent, unde venissent, quid agerent, quae negotia eis essent.

Colloquiis ludicris (1) horae antemeridianae celerissime praetervolabant.

Post prandium (2) usque ad horam quartam postmeridianam occasio erat agendi res, quarum cuique cupiditas erat, sive quieti se dare, sive scacis ludere, sive regiones permigrare, sive alia facere.

Tum in quattuor greges minores patre ipso et adiutoribus eius moderantibus distributi de variis rebus disputabamus. Quae res optima mihi fuisse videtur, quia in parvis gregibus unicuique plus erat occasionis loquendi quam in coetu plenario 38 participum.

Simili modo aliis quoque diebus actum est (Si exemplum sermonum noscere velitis, partes scaenicas Martini, Marteni Clementisque in hoc libello legatis!).

Extra quoque coetus seminarii Latine collocuti sumus, et de rebus ad vitam cottidianam pertinentibus. Nonnumquam quidem - confiteor - in linguam Theodiscam loquendam recidimus, quod autem non sapius accidit, quid ad me pertinet.

In diem usus loquendi magis magisque auctus est et aliis "noviciis" et mihi, qui antea rarissime Latine collocutus eram. Maximi momenti est loqui audere neque menda metuere: Usu optime dicitur. Itaque est loquendum, menda sunt facienda et tum corrigenda. Eo modo paulatim eloquentia augeatur, minuuntur menda.

Ne existimetis nos colloquiis tantum totum diem consumpsisse. Varia alia quoque egimus. Primo vespere post cenam cum aliqua socia per vicum Morsacum ambulabam. Procul in saxo supra vicum sito villam parvo castello similem et turracula ornatam aspeximus. Via non magis ardua ad illud aedificium prope silvam situm ascendimus. Non habitatum videbatur, foriculae (3) erant clausae. Villam circumeuntes ad frontem parvulam porticum columnis Ionicis ornatam invenimus, ante eam hortum efferatum (4) dumis, virgultis floribusque. Totus locus videbatur miro modo romanticus et magicus (ut in narratione Josephi von Eichendorff poetae), et deliberabamus, num esset villa devotata (6) et phantasmata hic versarentur.

Ante villam etiam areola gramine plene obsita et plantis feris circumdata aspectum mirum obtulit de altitudine in lacum quattuor regionum, in montes alia parte lacus sitos, in vicum Brunnen, qui longe infra erat, in caelum paululum

rubrum, ubi non multo ante sol occidisset. Supra nos autem luna iam lucebat, nondum plena, sed crescens. Aliquantum temporis stabamus et calida nocte aestiva fruebamur. Iterum ad villam spectantes constituimus non usque ad horam phantasmatum ibi manere, quia nesciebamus, utrum phantasmata essent affabilia an horribilia, si venissent.

Omni fere vespere cupientibus fuit occasio cantandi. Cantūs partim Theodiscos in Latinum versos partim Latinos, velut "Gaudeamus igitur.." cecinimus. Inter eos fuit cantus a musico Italiano (nomine Angelus, nisi fallor) compositus, cuius verborum quidem oblitus sum (erat aliquid de Latinitate, puto), sonus meridiano more autem cantūs Giuseppe Verdi mihi in mentem revocavit et valde placuit.

Duabus vesperis fuit occasio saltandi: Nostra socia Irmgard nos saltus vel potius choreas Graecas docuit, quae magnum gaudium mihi attulerunt. Postea ad multam noctem in maeniano (6) sedebant, qui nondum dormitum ire cuperent, inter pocula vini, cerevisiae, aquae mineralis colloquentes.

Die Mercurii excursiones in regionem propinquam suscipere in animo habebamus. Cum mane experrectus sum, strepitum bene mihi notum aquae de caelo fluentis crevi. Excursionibus in proximum diem dilatis periculum erat, ne panicelli farti (7), qui viatico (8) parati erant, tamen nobis essent edendi. Sed coetu seminarii incipiente socia Erica omnibus applaudentibus nuntiavit nos prandii participes fore. Suspicio non abest, quin sanctus Franciscus vel Antonius nos panicellis liberaverit et illos avibus vel piscibus pabulo donaverit.


Proximo die excursiones caelo iterum sereno commissae sunt. Cum grege duodecim sociarum sociorumque a vico Sisikon secundum ripas lacūs ad sacellum Telli migravi. Tum nave lacum transportati in vico Bauen nonnullas horas otio fruebamur. Inde nave vaporaria (9) vecti in vicum Brunnen revertimus.

Ita illa septimana iucundissima celerrime praetervolavit, mihi brevior quam aliis sociis, quia iam die Veneris post prandium mihi abeundum erat eodem vespere iam in Italiam profecturo.

Illae dies multa gaudia mihi attulerunt. In Italia, ubi Asisi quoque ero, candelam accendam Francisco gratias acturus pro illa septimana Morsaci.

1 ludicus	kurzweilig/amusant/amusing/divertido
2 prandium,-i	Mittagessen/déjeuner/lunch/almuerzo
3 foricula,-ae	Fensterladen/volet/shutter/contraventana
4 efferatus	verwildert/sauvage/wild/abandonado
5 devotatus	verzaubert/ensorcelé/bewitched/embrujado
6 maenianum,-i	Terrasse/terrace/terrace/terrazza
7 panicellus fartus	Sandwich/sandwich/sandwich/bocadillo
8 viaticum,-i	Proviand/vivres/victuals/vivres
9 navis vaporaria	Dampfschiff/bâteau à vapeur/steamer/vapor

Daniel Weissmann



De seminario Latinitatis vivae

Morsacensi anno 1988° habito

Quartum iam Latinitatis vivae seminarium Helveticum inter diem 24^{um} et 30^{um} mensis Quinctilis (sive Iulii) Morsaci, in vico super Lacum Quattuor Pagorum sito, patre doctore Caeleste Eichenseer Saravipontano moderante exhibitum est. Cum primo huius modi seminario, quod erat anno 1985°, duodecim tantum intererant participes, hoc anno iam quadraginta fere salutari potuerunt, quorum plerique erant Germani et Helvetii, sed etiam adfuerunt Itali, Batavi, Franco-gallique. Inter quos tot mulieres puellaeve erant, quot viri et pueri. Numerus iuvenum aequalis fere erat numero plures iam annos habentium.

At extra ea, quae nunc dixi, nihil de seminario ipso narra-bo, quia more solito est exhibitum, colloquiis enim matutinis inter horam 9^{am} et 12^{am} institutis, instructione grammaticali autem horis postmeridianis habita. Ut mos est illis seminariis, tam ad hilaritatem spectabat quam ad

Latinitatem: qui alieni advenerant participes et peregrini, die Sabbati amici discesserunt. Immo Amor sagittas misisse videtur, sed hanc rem silendo praeteream, cum sit nimis privata. Attamen illis dixerim, qui Latinitatem vivam sterilem et rigidam esse censeant.

Extra seminaria nostra, i.e. extra circulum eorum, qui Latinitatem vivam adhibere audent, saepe rixa est de facultate et immo de licentia Latine loquendi. Sunt, qui affirmant Latinitatem hodie usurpatam et prolatam nihil valere pro sermone Ciceroniano et Caesariano. Nefas ergo esse hodie Latine loqui, cum nemo nostra aetate ad talem perfectionem perveniat, qualem Cicero Caesarque attigerint. Ceterum omnia verba, quae neque in Marci Tullii neque in Gaii Iulii libris inveniantur, esse omnino vitanda, quia non sint bonae Latinitatis.

Ad quae opprobria pater Caelestis multis atque variis argumentis respondere solet nec non dignis, quae memorentur. Primum concedendum est Ciceronem et Caesarem optimam protulisse Latinitatem, quae et nobis semper exemplo sit, exemplo vero, quod imitari non possumus. Nihilominus nobis semper cavendum est, ne falsam et depravatam adhibeamus linguam Latinam. Regulas grammaticales et syntacticas classicas semper sequamur.

Sed praeter Caesarem Ciceronemque iam antiquitae poetae scriptoresque permulti florebant, qui variis de rebus diserebant. Etsi apud Ciceronem Caesaremque quaedam expressiones non inveniuntur, tamen utriusque tempore iam exstant erantque in usu, velut **terebra** (Theodisce: Bohrer), quod vocabulum non est Ciceronianum, sed Vitruvianum. Cum agitur de rebus cottidianis velut de instrumentis technicis musicisve, de supelléctile, de vestimentis, de vehiculis, de re coquinaria deque multis aliis rebus, libri Ciceronis Caesarisve silent, cum non tractent has res. Praeterea Tullius Iuliusque in suis operibus principalibus lingua artificiosa utebantur, qui numquam erat sermo cottidianus eorum temporis. Iam in epistulis sive ad familiares sive ad Atticum seu ad Quintum fratrem scriptis Cicero omnino aliter loquitur ac in orationibus vel in libris philosophicis. Si ergo vetaremur Latine loqui, vetari quoque oporteret Germanos, qui non linguam Goetheanam adhiberent, Theodisce loqui.

Multa vocabula, quae Latinae linguae peritissimus quisque recentissima aestimat, re vera sunt antiqua. Verbum, ut exemplum afferam, "modernus" non tam modernum est quam videtur esse, cum iam a Cassidoro (485 - 580 p.Chr.n.), cancellario Theoderichi regis, sit adhibitum atque derivatum sit a verbo "modi", quod bene Latine sonat.

Etiam medio aevo, quod dicitur, tempore humanistarum neque non saeculis recentioribus usque ad hodiernum diem lingua Latina viva numquam obmutuit. Dum est in usu apud homines doctos et eruditos, illi numquam verebantur, ne Latine exprimerent et res sibi recentissimas neque iam Romanis notas. Cur ergo nobis non liceret vocabula nova creare, quae ad usum cottidianum omnino sint necessaria? In creandis autem novis vocabulis maximi momenti est scientifice et diligentissime agamus. Ne unusquisque sibi vocabula quaelibet fingat, sed hanc rem difficillimam mandet paucis specialistis, qui multam operam dent in inquirendis et textibus et linguis vernaculis, ut quam optimam solutionem inveniunt et proponant. Saepe enim, ut iam supra memoravi, non necesse est novum vocabulum inveniatur, sed vocabulum quoddam iam antiquitus exstat apud auctorem, qui in scholis universitatibusque non vel saltem rarissime tantum legitur. Vulgata e.g. a plerisque propter Latinitatem simplicem minimi aestimatur, sed abundat expressionibus ad vitam cottidianam pertinentibus, est enim fons non modo salutis aeternae, sed etiam Latinitatis vivae.

Restat mihi, ut pauca dicam de utilitate sermonis Latini vivi. Profecto multi non intellegunt, cur Latine loquantur, cum ne ullus quidem iam homo exstet, qui a primis suae vitae initiis lingua Latina sermone patrio utatur. Quae lingua olim fuit vinculum totam fere Europam coniungens. Hodie tale vinculum non iam exstat, cum lingua Anglica, quae hodie quasi lingua universalis facta est, spectet imprimis ad unum circulum ethnicum, ad circulum scilicet Anglosaxonicum, qui dicitur. Latinitas autem nemini favet, sed est hereditas communis omnium Europae gentium, i.e. et Romanicarum et Germanicarum et Slavicarum, quia ubique erat in usu usque ad saeculum 19^{um}. Speramus fore, ut aliquando iterum floreat perducaturque populos ad unitatem non morum cogitationumque, sed pacis et caritatis.

In scholis denique Latinitas viva maximo emolumento est discipulis Latine discentibus. Vocabula atque regulae grammaticales multo melius loquendo exerceri possunt quam tantummodo audiendo et spectando. Praeterea lingua viva, qua et hodierna omnia possunt exprimi, discipulos gaudio imbuunt neque taedio.

Exerceamus igitur Latinitatem vivam, adeamus non solum seminaria Latina, sed condamus etiam circulos minores, quo convenire saepius possimus. Obstacula nobis afferuntur ingentia, impigri ergo simus oportet, ut ad auroram novae Latinitatis perveniamus!

Martinus Meier



Partes scaenicae per occasionem cenae
valedictionis seminarii Latini Morsacensis a
Marteno Breuer, Clemente Bertram Martinoque Meier
actae

(Tres actores imitantur lectionem a patre Caeleste habitam)

Pater Caelestis (Ca): (sonat campanula manuali) "Salvitas! Gaudeo vos omnes salvos et incolumes iterum adesse. Animis recreatis parati eritis ad horas instructorias nostras. Licebit mihi singulos interrogare, non propter curiositatem meam - quamvis sit maxima! -, sed propter occasionem loquendi et bene pronuntiandi. Estne ita, domina?"

Martina (Ma): "Zerte est."

Ca: "Estne tibi nomen?"

Ma: "Zerte est."

Ca: "Quis vocaris?"

Ma: "Martina nominor."

Ca: "Bene, Martina, unde advenisti?"

Ma: "Vindobona adveni."

Ca: "Optime. Quo vehiculo advenisti? Dicidadiculo an herbisectro?"

Ma: "Quid est? Nescio haec verba."

Ca: "Tune nescis? Quid tu scis? Dicidadiculum est 'Fallschirm', herbisectrum est 'Rasenmäher'."

Ma: "Neque dizidiculo neque herbisectro adveni, sed tramine ferriviario."

Ca: "Bene. Sed dicendum est: ferrrrrriviario. - Christina, tu es Itala. Dic: ferrrrrriviario!"

Christina: "Oh, excusatam me (h)abeas, ignoscas velim, veniam des mihi, si audeo (h)aec pronuntiare: ferrrrrriviario."

Ca: "Optima sonat. Est bona Latinitas. Gratias pro tua humanitate. - Sed nunc transeamus ad Udalricum. Quo vehiculo tu advenisti?"

Udalricus (Ud): "Funivia."

Ca: "Suntne Basileae funiviae?"

Ud: "Non funivia Basileensi adveni, sed funivia Vallensi!"

Ca: "Bene, habeas tua gaudia. Ergo si quis plus scire velit de funiviis, adeat Udalricum. - Nunc tua res agitur, Clementissime: Quo modo arcem Baghwanistarum* expugnari posse censes?"

Clemens (Cl): "Gypaeto barbato certe expugnari p-h-ose eam censeo."

Ca: "Gypaeto barbato? Quid hoc sibi vult?"

Cl: "Est nomen zoologicum vulturis. Vulture pro aëroplano usi ad arcem volabimus et statim expugnabimus."

Ca: "Oh, est bona res. Nihilominus non dicendum est p-h-ose, sed posssssse. Repete, quaeso: posssssse."

Cl: "p-h-ose."

Ca: "Non ita. Posssssse!"

Cl: "bbbbossssse."

Ca: "Nunc melius sonat. - Et tu, puellula Antonia. Quo instrumento musico canis?"

Antonia: "Eh, mmh, ääh, ööh,....flauta."

Ca: "Non ita dicitur, sed tibia. Tibia vasca an tibia normalis? Tibia vasca est 'Querflöte'. Hoc verbum legitur apud Isidorum Hispalensem. Ibi plurima inveniuntur maxima necessaria et idonea, quae apud Ciceronem legi non possunt. Gratias tibi ago, Antonia, pro responso tuo benigno et prolixo! - Sed Livius noster subridet. Qua de causa subrides, Livi?"

Livius (Li): "Subrideo, quod semper..."

Ca: "...Latine dicitur semper..."

Li: "...quod semper expugnare vis castellum istud Indicum*. Ibi habitant multae bellae ragazzae!"

Ca: "Non est bona Latinitas. Est quaedam - ignoscatis mihi quaeso - maccaronica. Dicendum est: puellae. Nihilominus castra sunt, quantum fieri potest, expugnanda, ut ibi Latinitatem colere possimus. Tot enim sunt ibi res inutiles, tot sunt detrimenta animae, tot sunt vanitates, ut constanter et fortiter et stabiliter Latinitas sit inferenda. Estne ita? Erica, tu vis aliquid subiungere?"

Erica: "Volo tantummodo adnotare prandium crastino die in maeniano fore. Soror Fabiola** mihi dixit gregem nanorum horticorum cras adventurum et ea de causa nobis non iam satis mensarum in tablinio esse. Scribam in tabula nigra: Cras...prandium...in maeniano...praebebitur."

Ca: "Bene. Sed optandum erit, ne pluat, ne mensas subaqueas adhibere debeamus. - Sed nunc amicam nostram Francogallicam pauca interrogabo: Quali pronuntiatu uteris, dominula?"

Caelia (Cae): "Pronuntiatum restitutum ad(h)ibeo."

Ca: "Optime. Est bona res. Est res omnino laudabilis. Ergo, dic, quaeso, nobis initium belli Gallici Gaii Iulii Caesaris."

Cae: "Libenter: Gallia omnis divisa est in partes tres, quarum unam incolunt (h)erbisectra, aliam (h)ortici, tertiam, qui ipsorum lingua nassiternae, nostra autem pectines appellantur."

Ca: "Quid? Caesarem profers?"

Cae: "Caesarem restitutum!"

Ca: "Bene. Habeas tua gaudia. Sed nunc, quia tinnitus iam auditur, pausa interponenda est."

*Arx Baghwanistarum sive castellum Indicum, quod his in partibus scaenicis memoratur, situm est in altera Lacus Quattuor Pagorum ripa. Re vera ibi homines nonnulli incumbunt arti, quae dicitur meditatio transcendentalis a viro quodam Indico inventa. Patri Caelesti aedificium illud tantopere placuit, ut id ad Latinitatem exercendam expugnare vellet.

**Soror Fabiola est superiorissima domus Antonianae Mattli, ubi seminarium Latinum Morsacense actum est.



Cantemus, o amici!

DEUS TU FECISTI NOS....

(Alles Leben strömt aus dir...)

Canticum Helveticum populare apud incolas in pago, cui nomen "Appenzell", habitantes in contione (Landsgemeinde) cantatum. Modum composuit J.H. Tobler (1777 - 1838), textum in Latinum vertit Sibylla Schuler.

De-us, tu fe-cis-ti nos, De-us, tu fe-cis-ti
 nos con-fi-te-tur om-nis mun-dus, con-fi-
 te-tur om-nis mun-dus. Fons es vi-tae tu pro-
 fun-dus mil-le ri-vis pro-flu-ens,
 mil-le ri-vis pro-flu-ens, mil-le ri-vis
 pro-flu-ens, mil-le ri-vis pro-flu-ens.

2. Me creatum sentio (bis), teque novi Deum clarum (bis),
teque voco patrem carum. Te adoro, Domine (quater).
3. Super me ut splendet sol (bis), oculis me tu paternis (bis),
Deus spectas et aeternis / implevisti gaudiis (quater).
4. Ad te patrem veniam (bis); nam infirmum comitaris (bis)
sicut angelus, tu, qui faris: "Sensisti praesentem me." (quater).



ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
5+6/88	67	cum cognovisset is verum esse...	cum cognovisset id verum.
	68	purgendae	purgandae
	69	clavile cecinisti	clavili cecinisti
	70	rixarum	ricarum
7+8/88	75	prsefationes	praefationes

RUMORIS VARIi domus editoria



MORTES

Latina scripti Gallici versio, quod in commentariis "Sud-Ouest" Saturni die XXVII mensis Augusti anni MCMLXXXVIII editum est:

Antoninus Immé, Latini quotidiani apóstolus, de vita decesit: Unus inter Latinitatis vivae principes mortuus est Pali, cum annos LXXXVII natus esset.

In Sicilia natus erat hoc saeculo ineunte: anno MCMI in mellifera regione Melilli in urbicula, quam antiqui Hyblaeam dixerunt. Antoninus Immé mortuus est Iovis die Pali, ubi decem circiter annos vixit cum Genovefa uxore, de Latino et Graeco Universitati adgregata, Latinam linguam in Lyceo Aloysio Barthou dicato docente. Ille annum LXXXVII^{um} impleverat.

Sic periit unus e Latinitatis vivae principibus, vir peritissimus, cuius scripta per omnes orbis terras distribuebantur. Nam Antoninus Immé multo ultra Francogalliae Italiaeque fines notus erat.

Antoninus Immé, a praedii possessorum gente ortus in Syracusana provincia, et professor - Syracusis prius, dein Romae - et diurnarius - qui in compluribus primae notae Italicis ephemeridibus chronista fuit - periodicum, dum in urbe aeterna versatur, condiderat cui titulum dederat "AVENTINUM" (ut unus e septem collibus appellatur) et id totum Latine conscriptum erat.

LINGUA ANTIQUA SED VIVA

Latina lingua fuit "antiqua sed vividissima" qua commentationes quoque scribet, quae in periodicis in Francogallia ("Vita Latina") atque etiam Turici ("Rumore Vario") et Bruxellis ("Melissa") et in Germania ("Voce Latina") et in Foederatis Americae Civitatibus ("Herme Americano") editis nec non in "Latinitate" a Vaticano promulgata divulgari solebant.

Romae circulum quendam condiderat - "Circulum in urbe" dictum -, in quem libenter accipiebatur, quicumque eo venire cupiebat, ut in familiaribus colloquiis Latine garriret quicquid in buccam veniret. Dein Palum emigraverat mense Augusto anni MCMLXXXVIII, ut cum profestrice Latinitatis et ipsa studiosissima conviveret, quae Latinitas eis "idem valebat atque humanus cultus et amor et amicitia".

Genovefa Immé, ut mariti exemplum imitaretur, aliquot abhinc annos Latinum periodicum condiderat, cui titulus "MAS" ("Memento Audere Semper"): Quod discipulis, qui in Lyceo Aloysio Barthou dicato Latino sermoni studebant, primum destinatum erat; nunc vero in terras duodequadrageinta dimittitur.

Neque Antoninus nec Genovefa Immé, per hos decem annos, per quos Pali una convixerunt, fidem violaverunt ne semel quidem, quam a primo conventu suo coniuraverant: Nam in Hortorum Arcadicorum" aedibus Pali in urbe Latina verba modo quotidiano assidue declinata sunt. Atque quibuscumque contigerat, ut his delectabiliter singularibus coniugibus obviam essent, in eorum memoriis tempora quaedam simplicia servantur, quibus Antoninus Genovefaque Immé "Latinae linguae vivae et inter gentes vigentis" defendendae patrocini-um probatione potentissima exercebant.

Itaque Genovefa Immé certamen nuper instituerat, ut monumentum in Latinitatis honorem Pali erigeretur: Quo in certamine assiduus socius erat maritus. Qui vir, cum in ultima commentatione, quam scripsit, Siculas lucas memoraret, "Gaudeo", inquebat, "cum cogitem solem me mortuo lucere perrecturum..."

Scriptum Francogallicum in Latinum vertit Genovefa Immé



I N A N T O N I N I M E I M E M O R I A M

Ardens mens Antonino fuit et studiosa,
Navum cor vitae fortunis omnibus aptum,
Tranquillum robur, quamvis animus tener esset,
Os hilarum, mores faciles sermoque iocosus.
Nullum coge-
bat, sed libertatem adamabat.
Ingenuas artes exercuit excoluitque.
Nunquam cessavit pugnam pugnare Latinam,
Vivum sermonem defendens vividus ipse.
Sis illi, tellus, pacata benigna levisque!

Cecinit Genovefa Immé uxor

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

9+10/88

IDIBVS OCTOBRIBVS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC.73